

## DISSERTATIO VII

## DE PROBABILISMO MODERATO

## PRINCIPIA

[1<sup>o</sup> Inter virtutes morales præcipuum locum tenet prudentia; nam simul est caput, ut dicit S. Thomas, « complementum <sup>1</sup> » omnium aliarum, eas dirigens ut intra fines boni et recti exerceantur. Unde, nisi homo prudenter agat, recte non agit. Porro, quamdiu dubio practice pratico de honestate actionis hic et nunc ponendæ angitur, non licite agit, nisi dubium excutiatur, id est nisi se determinet duce prudentia, quæ, ut ait idem Angelicus, « secundum essentiam suam est intellectualis virtus, sed secundum materiam convenit cum virtutibus moralibus; est enim recta ratio agibilium <sup>2</sup> ». Etenim « ad prudentiam pertinet, non solum consideratio rationis, sed etiam applicatio ad opus, quæ est finis practicæ rationis <sup>3</sup> ». Ergo tota quæstio probabilitatis ad unum reducitur, an scilicet, cum lex est dubia, id est probabiliter tantum existens, agens prudenter amplecti et sequi possit opinionem libertati faventem.

2<sup>o</sup> Porro nemo prudenter agit, nisi moraliter certus sit de honestate actionis suæ; nam Apostolus dicit, *Rom.*, xiv, 23<sup>4</sup>: *Omne quod non est ex fide*, id est ex persuasionem firma et fundata legitimitatis actionis, *peccatum est*. Non agitur hic de certitudine objectiva, quæ obtineri nequit cum actio probabiliter tantum præcipitur vel prohibetur, quia tunc ipsius actionis moralitas est dubia. Requiritur ergo certitudo subjectiva. Et hæc certitudo non potest esse metaphysica in rebus practicis, in quibus applicantur tantum remotæ conclusiones principiorum speculativorum per se notorum.

1. 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 166, a. 2, ad 1. — 2. 1<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 58, a. 3, ad 1. — 3. 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 47, a. 3, o.

Sufficit ergo certitudo moralis, quæ sola competit ordini in quo requiritur. Quærendum est ergo an agens possit esse moraliter certus de honestate actionis suæ, cum legem dubiam seu probabilem prætermittens, sequitur opinionem libertati faventem.

3<sup>o</sup> Inde concludendum est, solam probabilitatem non per se conferre jus agendi contra legem dubiam. Si enim honestas actionis est tantum probabilis, remanet dubia, et cum actio sit hic et nunc ponenda, agens constituitur in dubio practice pratico, in quo non licet agere, nisi pars tutior præferatur, quia qui non agit *ex fide*, non habet certitudinem moralem de honestate actionis suæ, et scienter et voluntarie se committit periculo peccandi, et eo ipso peccat formaliter, etiamsi materia peccati reapse non adsit. Non ducitur enim virtute prudentiæ, quæ, sicut diximus, est « recta ratio agibilium. » Necesse est ergo ut, in hoc casu, conscientia formetur et certa fiat ex aliquo principio extra probabilitatem ipsam sumpto, quo demonstretur licitum esse practice contra legem dubiam agere. Ex hoc sequitur, non sufficere illud principium a quibusdam probabilistis invocatum: « Qui probabiliter agit, prudenter agit. » Si enim nude et in seipso sumatur, merito ab adversariis impugnatur, quia ex tali probabilitate sequi non potest per se nisi probabilitas honestatis actionis, quæ conscientiam non potest moraliter certam efficere. Ut vero admittatur, intelligendum est in hoc sensu, quod legitime probabiliter agitur, cum probabilitas obligationem legis dubiæ tantum afficit, et conscientia aliunde certa redditur de honestate actionis.

4<sup>o</sup> Ex his patet, principia quibus formetur practice conscientia, extra casum practicum esse quærenda; nam, si ex ipsa quæstione directe erui possent, dubium evanesceret et certitudo locum probabilitatis occuparet. Hæc principia, jam per se perspicua, vel demonstrata et admissa, projiciunt in casum dubium lumen suum proprium, quod inde versus intellectum agentis reflectitur, ita ut obscuritas moralis quæ dubium practicum vocatur penitus dissipetur, etsi res ipsa objective nondum clares-

cat: sicut sol radiis suis illuminat res quæ, antea nobis obscuræ, his radiis ad nos repercussis visibiles fiunt. Et propter hoc hujusmodi principia recte vocantur *reflexa*. In hoc ergo consistit efficacia horum principiorum, quod, cum existentia alicujus legis non nisi probabiliter affirmari potest, et eo ipso obligatio talem legem observandi dubia remanet, ex principiis prædictis pronuntiatur an agens contra legem dubiam licite agere possit, an vero teneatur eam observare.

5º Principia reflexa necessaria esse ad solvenda dubia practica de quibus hic agitur, ex facto ipso demonstratur. Etenim, quævis opinio in præsentia materia prævaleat, statim aliquod principium reflexum intercedit. Tutoristæ, sicut et probabilistæ, concedere coguntur legem dubiam ut talem non obligare, id est ratione ipsius dubii, quia dubium est quid negativum, ex quo oriri nequit aliquid positivum, qualis est obligatio. Ex utraque parte ergo recurritur ad aliquod principium extrinsecum, ad statuendum quid practice sit determinandum. Tutoristæ, in quovis dubio obligationem affirmantes, hoc principio reflexo innituntur: « In dubio pars tutior est sequenda. » Probabilistæ, qui negant obligationem, cum sententia legi opposita est vere et solide probabilis, inter principia reflexa quæ allegant hoc præcipuum ponunt: « Lex dubia non obligat. » Ergo in præsentia quæstione aliquod principium reflexum necessario intervenit.]

#### ARTICULUS I

##### *De natura probabilitatis.*

[Cum agatur in præsentia quæstione de valore opinionis probabilis relative ad conscientiam, in rebus practicis, primum dicendum est quid sit opinio, deinde quid et quotuplex probabilitas.

Opinio in genere est assensus in alterutram propositionem, seu adhæsiō alterutri e duobus contradictoriis,

cum formidine alterius. Excludit certitudinem, quæ rem ita clare manifestat, ut oppositum appareat, non tantum dubium, sed impossibile.

Probabilitas est verisimilitudo quæ, prout est major vel minor, magis vel minus trahit assensum mentis in unum e duobus contradictoriis. Ideo opinio seu sententia probabilis est judicium innixum motivo seu fundamento gravi, licet cum formidine de opposito. Opinio vero improbabilis est judicium motivo solido destitutum. Unde videtur opinionem, quamdiu fines probabilitatis non excedit, quantumvis probabilis sit, non omnino destruere verisimilitudinem propositionis contradictoriæ, sed eam tantum extenuare, pro soliditate fundamenti quo ipsa nititur.

Probabilitas multipliciter distinguitur :

1º Est *intrinseca*, quando rationes eam statuentes petuntur ex ipsius rei natura, proprietatibus, causis, effectibus, et etiam ex inconvenientibus partis oppositæ. Est *extrinseca*, cum nititur autoritate doctorum gravium, qui hanc sententiam merito consentur tenere propter rationes solidas, etsi rationes istæ non fuerint in se trutinatæ.

2º Est *juris vel facti*, prout circa juris aut legis existentiam et ejus applicationem, vel circa aliquod factum versatur.

3º Est *speculativa vel practica*, secundum quod quæstionem in se, abstrahendo ab omni actu hic et nunc ponendo, vel actum proxime ponendum respicit.

4º Est *absoluta*, si propter validitatem rationum ab omnibus vel plerisque admittatur, vel *relativa*, cum unus tantum vel pauci determinantur argumentis quæ communem assensum non trahunt.

5º Est *solitaria vel comparativa*, prout talis apparet in se, absque ulla relatione ad aliam, vel ejus rationes cum argumentis quæ pugnant pro contradictoria propositione comparantur.

6º Probabilitas comparativa dividitur per gradus in *majorem, minorem et æqualem* : id est, propositio quædam est

probabilior, vel æque aut minus probabilis quam opposita, prout nititur rationibus solidioribus, vel æque aut minus solidis.

7<sup>o</sup> Opinio probabilior gradus etiam admittit; est enim paulo vel notabiliter probabilior quam adversa, quando ejus fundamenta paulo tantum vel notabiliter fundamentis sententiæ contradictoriæ præponderant.

8<sup>o</sup> *Probabilissima* etiam est opinio quæ gravissimo fundamento nititur. Tunc opposita est tenuiter vel dubie probabilis.

9<sup>o</sup> Insuper opinio probabilis est *tuta*, vel *tutior*, vel *minus tuta*, secundum quod simpliciter favet legi, vel eidem magis vel minus favet quam adversa. Igitur sententia probabilior non est necessario tutior, siquidem probabilitas major etiam pro libertate stare potest.]

## ARTICULUS II

### *Quænam systemata prodierint circa probabilitatem in practicis?*

[Ex distinctionibus præfixis patet, probabilitatem a nobis hic intelligi secundum quod afficit, non intellectum in speculativis, sed conscientiam in agendis. Porro agenda determinantur et imponuntur a lege. Lex ergo, ut hic considerari debet, est voluntas superioris de eo quod vult aut non vult fieri, manifestata subdito. Si lex prorsus et invincibiliter ignoretur ex defectu promulgationis vel cognitionis, actio ei repugnans dicitur peccatum materiale, seu materia peccati; si vero lex sit cognita, vel vincibiliter et culpabiliter ignoretur ab agente contra eam, peccatum est formale, quia voluntas inferioris voluntati superioris contradicit, et sic est inordinata et mala. Accidit autem non raro subditum nec affirmare nec negare posse existentiam legis, cum argumenta opposita pro ea et contra eam pugnent. Tunc lex est tantum probabilis seu dubia, et cum obligatio sit effectus legis, quæritur an tunc subditus tali legi obedire teneatur, vel ab ea sit immunis.

Agendum est ergo unice, in præsentis quæstione, de solo licito vel illicito, id est de honestate actionis contra legem probabilem aut dubiam positæ. Hoc semper præ oculis est habendum in hac dissertatione, ut vitentur confusiones quædam quæ rem inextricabilem redderent, et de quibus sermo erit infra.

Ad tria capita reduci possunt systemata quæ prodierunt circa probabilitatem, nempe ad tutiorismum, probabiliorismum et probabilismum. — Addi potest systema quoddam recentiorum ortum sub nomine probabilismi compensativi.

1<sup>o</sup> *Tutioristæ rigidi* seu *absoluti* ii sunt qui, in conflictu duarum opinionum quarum una legi et altera libertati favet, volunt partem legis semper esse amplectendam, hoc principium profitentes: « In dubio pars tutior est sequenda. » Ex hac doctrina sequitur, sententiam etiam probabilissimam libertati faventem non posse tuto, id est licite, practice præferri. Et revera multi ex secta Janseniana, duce Nicolio, exigebant in omni casu certitudinem moralem honestatis actionis, ut conscientia sit illæsa. Cum vero Alexander VIII damnasset sequentem propositionem: « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam, » plures a pristina rigiditate recedentes, ut censuram pontificiam declinarent, concesserunt licere sequi opinionem contra legem, modo sit probabilissima, quia tunc actio est probabilissime honesta, et ut talis regulis prudentiæ non opposita. Hi posteriores *tutioristæ benigni* vocantur.

2<sup>o</sup> *Probabilioristæ* tenent, licitum esse sequi opinionem minus tutam, dummodo sit vere, id est notabiliter probabilior. Si sententia libertati favens sit leviter tantum probabilior, non permittunt eam præferre, quia, inquiunt, in moralibus parum pro nihilo reputatur. Hujus systematis veritatem noster Billuart supra demonstrare conatus est.

3<sup>o</sup> *Probabilistæ* docent licitum esse sequi opinionem minus tutam, etiamsi non sit notabiliter probabilior. In triplicem classem dividuntur: 1<sup>o</sup> *Probabilistæ rigidi*, vel *equiprobabilistæ*, asserunt electionem non esse liberam,

nisi opiniones pro lege et contra legem sint æque probabiles. 2º Probabilistæ *benigni* seu *moderati* tenent licere sequi opinionem minus tutam et minus probabilem, dummodo sit vere et solide probabilis. 3º Probabilistæ *laxi* vel *laxiores* docuerunt semper fas esse sequi opinionem minus tutam et probabilem, etiamsi tenuis sit vel tenuissima ejus probabilitas, « modo a probabilitatis finibus non exeatur. » Hoc systema fuit damnatum, ut infra patebit.

4º Systema *probabilismi compensativi*, quod fusius infra exponetur, in hoc consistit. Cum lex dubia, seu probabiliter tantum existens, ut talis obliget, in favorem libertatis non licet dubium solvere, nisi prius perpensis libratisque commodis et incommodis quæ oriri debent, sive juxta sive contra legem agatur. Si commoda quibus fruatur agens contra legem superent vel saltem æquent inconvenientia inde oritura, licitum est libertate uti, secus lex prævalet. — Hic pseudo-probabilismus suo loco expendetur, et ejus inanitatem demonstrabimus, exhausta primum quæstione probabilismi, ad quam revera non pertinet.

Varia systemata probabilismo moderato opposita sufficienter evertentur per demonstrationem propositionis quæ totam doctrinam probabilistarum enuntiat. Unde]

### ARTICULUS III

*An liceat sequi opinionem vere et solide probabilem faventem libertati, relicta tutiore æque probabili, vel etiam probabili, ubi de sola licetate actionis agitur?*

[Nota 1º quæstionem hic absolute restringi ad solam licetatem vel honestatem actionis, ad vitandam confusionem in quam inciderunt multi authores, qui non satis distinxerunt licetatem actionis a validitate actus. Essentialiter enim differunt duo casus sequentes : Licetne tali die non jejunare, si vere dubia sit lex hac die jejunium præscribens,

et : Licetne adhibere materiam dubiam ad conficiendum sacramentum, cum adest materia certa. In priori casu, agitur de licetate actionis, et est ipsa quæstio probabilismi. In posteriori casu, agitur de validitate actus, et hæc quæstio ad systema probabilismi nullo modo pertinet, ut infra fusius explicabitur.

Nota 2º concursus hic institui inter opinionem vere et solide probabilem faventem libertati et opinionem æque probabilem, vel etiam probabilioris faventem legi. Observandum est enim 1º sententias oppositas rationibus gravibus fulciri, ita ut mens anceps hæreat, rem objective considerans, et tunc utraque opinio est vere et solide probabilis. 2º Differentia probabilitatis est non raro mere subjectiva. Fieri enim potest ut quod cuidam probabilius apparet, alteri minus probabile videatur, quia uterque diversimode rationibus inter se pugnantibus afficitur, propter circumstantias quæ, si mutarentur, utrumque contrario modo inclinarent ad judicandum. Hæc inæqualitas variabilis, quæ non potest esse notabilis, efficere nequit quod una ex opinionibus oppositis ita notabilior fiat, ut altera jam non sit vere et solide probabilis. 3º Etiamsi objective una sententia præ altera reapse probabilior sit, hæc posterior potest non ita extenuari, ut desinat esse vere et solide probabilis. Stat ergo nostra propositio, quotiescumque opinio libertati favens est vere et solide probabilis, quamvis opposita argumentis paulo validioribus defendi possit. Et ita intelligendus est æquiprobabilismus S. Ligorii, qui, cum negat licitum esse sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori tutiori, intelligit hanc posteriorem esse certe et notabiliter probabilioris, non vero parum aut dubie probabilioris, quia tunc prior esset tantum dubie aut leviter probabilis et assensum viri prudentis trahere non posset.

Nota 3º propositionem nostram intelligendam esse tam de probabilitate extrinseca, quæ tantum decisionibus doctorum nititur, quam de probabilitate intrinseca, quæ ex consideratione et ponderatione quæstionis solvendæ eruitur. Qui enim non est satis rerum theologiarum peritus,

ut valeat ipse dubium practicum dirimere, prudenter iudicium suum format ex doctiorum decisionibus. Unde, cum illi compertum est talem opinionem ut vere probabilem haberi ab authoribus optimæ notæ, habet probabilitatem requisitam ut ex ea legitime agat. Hoc a S. Sede fuit definitum, cum S. Pœnitentiaria pronuntiavit, anno 1831, antequam S. Ligorius catalogo sanctorum inscriberetur et titulo Doctoris Ecclesiæ decoraretur, non inquietandum esse confessarium sequentem opiniones hujus theologi, non trutinatis rationibus quibus nituntur, quia eas tutas iudicat eo solo quod S. Sedes declaravit, nihil censura dignum in Alphonsianis scriptis fuisse inventum.

His positis.

Dico : Licet sequi opinionem vere et solide probabilem faventem libertati, relicta tutiore æque probabili, vel etiam probabiliori, ubi de sola licetate actionis agitur.

*Probatur 1<sup>o</sup> ratione.* Hic intercedunt principia reflexa quibus necessario statuenda est propositio.

PRINCIPIUM PRIMUM : *Lex dubia non obligat.*

*Prob.* Lex non obligat, nisi habeat *actu* vim obligandi. Atqui lex cui opponitur opinio vere et solide probabilis, non habet actu vim obligandi. Ergo lex talis non obligat. — Major non videtur probanda, sed tantum explicanda. Dupliciter lex considerari potest, scilicet *in fieri* seu in potentia, et in *facto esse*, seu in actu, et hæc distinctio innuitur a S. Thoma, 1<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>, q. 90, a. 1, ad 1 : « Cum lex sit regula et mensura, dicitur dupliciter esse in aliquo. Uno modo, sicut in mensurante et regulante : et quia hoc est proprium rationis, ideo per hunc modum lex est in ratione sola. Alio modo, sicut in regulato et mensurato : et sic lex est in omnibus quæ inclinantur in aliquid ex aliqua lege. » Priori modo, ut vides, lex in ratione sola existens, est in fieri, et si quemdam actum jam habet, non est alius quam actus primus, ex quo in potentia tantum existit. Quomodo vero lex sit in regulato et mensurato, id est in ejus subiecto, quantum ad actum secundum, qui est simpliciter et proprie actus, hoc declarat Angelicus infra, a. 4, o, dicens : « Lex imponitur aliis per modum regulæ et mensuræ.

Regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur et mesurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. » Atqui per hanc applicationem lex actum suum, ut supra intelligitur, id est actum secundum, obtinet. Ergo non obligat nisi per hunc actum vim obligandi obtineat. — Prob. min. Lex non habet actu vim obligandi, nisi fuerit realiter promulgata. Atqui lex cui opponitur opinio vere et solide probabilis non fuit realiter promulgata. Ergo non habet actu vim obligandi. — Prob. maj. Hæc propositio sequenti æquivalet : Lex non obligat, nisi realiter existat et sit lex vera. Porro, certum est legem plenam seu veram existentiam non habere, seu non esse in actu secundo et non applicari, et consequenter non esse legem veram quæ obliget, nisi fuerit promulgata. Disputatur inter theologos, an promulgatio sit de essentia legis. Quidam dicunt eam ad essentiam non pertinere, sed nihilominus esse conditionem *sine qua non* ut lex obliget, quia subditus teneri non potest legem aliquam servare, si eam ignoret. Alii docent, et melius, ut in tractatu *de Legibus* probabitur, promulgationem esse de essentia legis. S. Thomas, *ibid.*, a. 4, solvit quæstionem sequentem : « Utrum promulgatio sit de ratione legis ? » In capite objectionum propositio negativa legitur : « Videtur quod promulgatio non sit de ratione legis. » Postquam in corp. art. dixit, ut supra legitur, legem imponi « per modum regulæ et mensuræ, » et necesse esse, ut vim obligandi obtineat, quod applicetur seu imponatur hominibus, Angelicus prosequitur : « Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. » Allegato autem tritissimo axioma juris : « Leges instituuntur cum promulgantur, » promulgationem ponit in definitione legis, quam sit statuit : « Lex nihil aliud est quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata. » In quamcumque partem propendat

aliquis, propositionem nostram admittere cogitur, scilicet quod lex non habet actu vim obligandi, nisi fuerit realiter promulgata. — Prob. min. Lex cujus existentia non est certa (seu lex dubia), non est realiter promulgata. Atqui lex cui opponitur opinio vere et solide probabilis, non est certa (seu est lex dubia). Ergo lex talis non est realiter promulgata. — Ad præevendam omnem ambiguitatem, notandum est non agi in hoc argumento, sicut et in tota quæstione de promulgatione quæ fit in foro externo pro communitate et ipso facto obstringit juridice omnes subditos, qui censentur eam noscere et ignorantiam communitè prætereundum non possunt ad transgressiones excusandas et pœnas declinandas, quia jure præsumuntur scienter legem violasse. Expendimus hic valorem legis dubiæ in foro interno, et inquirendum est an lex vere dubia haberi debeat ut realiter promulgata in hoc foro, id est an conscientiam liget. Hoc statuto. — Prob. major. Dicimus cum S. Thoma, hic q. 90, a. 1, o : « Lex quædam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur; dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum. » Unde lex considerari non debet in abstracto, sed ut est aliquid practicum, et hæc regula et mensura non fit practica nisi subjecto applicetur realiter, ut docet Angelicus, *ibid.*, a. 4, o, dicens : « Regula et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur et mesurantur. Unde, ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. » Porro, secundum eundem, *ibid.*, « talis applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. » Atqui qui vere incertus est de existentia legis, non habet hujus legis notitiam. Ergo ipsi non est realiter promulgata. Si repenatur, ut aliquibus placuit, dubitantem de existentia legis hujus legis habere aliquam notitiam, quæ est promulgatio sufficiens ut secundum hanc legem se regulare et mesurare teneatur, talem objectionem refutat ipse S. Thomas, explicando quid intelligendum sit per notitiam requisitam ut lex realiter applicetur per promulgationem. Dicit

enim, q. 17 *de Veritate*, a. 3 : « Sciendum est quod ligatio metaphorice a corporalibus ad spiritualia sumpta, necessitatis impositionem importat... Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis, illo modo ligationis qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. Unde nec ex imperio alicujus regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti : et ideo ille qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur, nec aliquis ignorans præceptum Dei, ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum. Si autem non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex præcepto ligatur. Sicut autem in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus præceptum non ligat, nisi per scientiam... Cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ, nec scientia nisi per virtutem præcepti. » Si quis autem affirmare audeat, cum Patutio, acerrimo S. Alphonsi de Ligorio oppugnatore, et cum coryphæo *Probabilismi compensativi*, de quo infra, scientiam hic sumi a S. Thoma lato sensu, et intelligendam esse de quacumque notitia, etiam dubia, cujus motivum est grave, ita ut simplex opinio de existentia legis promulgationi æquivaleret, Doctor noster hoc effugium claudit, dicens, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 1, a. 3, ad 4 : « Scientia cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem, quia de ratione scientiæ est quod id quod scitur existimetur esse impossibile se aliter habere; de ratione autem opinionis est quod id quod est opinatum existimetur possibile aliter se habere. » Unde, secundum Angelicum, lex cujus non habetur scientia seu cognitio certa, non attingit nec ligat subditum, quia non ei imponitur sicut convenit hujusmodi ligamini, id est per scientiam. Atqui scientia legis non acquiritur nisi per promulgationem. Ergo lex cujus existentia non est certa, non est realiter promulgata. —

Minor est evidens. Si tamen probanda esset, sic procederemus. Duæ probabilitates oppositæ necessario incertitudinem seu dubium inducunt. Atqui, cum opinio vere et solide probabilis negat existentiam alicujus legis, duæ probabilitates opponuntur. Ergo existentia hujus legis est incerta seu dubia.

Omnis ulterior probatio est inutilis, imo esset impossibilis, nam evidentia demonstrationem nec requirit, nec patitur.

Superior argumentatio sic resolvitur :

Lex quæ probabiliter tantum existit est lex dubia.

Lex dubia non est realiter promulgata.

Lex quæ non est realiter promulgata, non habet actu vim obligandi.

Lex quæ non habet actu vim obligandi, non potest realiter obligare.

*Confirmatur* hoc argumento a Billuart instituto in favorem probabiliorismi : « Ille qui facit quod probabiliter judicat esse objective honestum, seu nulli legi contrarium, si forte sit lex prohibens, illam invincibiliter ignorat. Atqui ignorantia invincibilis legis excusat a peccato formali, ut patet ex hac propositione secunda damnata ab Alexandro VIII : « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali. » — Prob. min. Qui serio enititur ad veritatem, facitque totum quod moraliter potest ut eam assequatur, si forte non attingat, invincibiliter illam ignorat; quia ea ignorantia est invincibilis, quæ humano studio vinci non potest, ut dicit S. Thomas 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 76, a. 2, o. Atqui totum hoc præstat qui, post sufficiens examen, sequitur opinionem probabilem. Ergo. » Ubi dicit Billuart *probabilior*, nos dicimus *probabilis*, et quidem pari jure. Cum enim opinio libertati favens est vere et solide probabilis, ipsa legis existentia non est nisi probabilis et demonstrari non potest. Agens igitur constituitur in ignorantia « quæ humano studio vinci non potest, » id est in ignorantia invincibili legis, si forte lex

existat. Atqui agens « non ligatur nisi mediante *scientia* præcepti, » ut dicit Angelicus. Ergo.

Ergo lex dubia non obligat.

*Dices* forsitan : Lex naturæ non fuit promulgata. Atqui nihilominus lex naturæ omnes homines obligat, et leges humanæ ab hac lege procedunt. Ergo promulgatio non est necessaria ut lex obliget.

*Respondeo.* Hanc difficultatem sibi objicit S. Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 90, a. 4, primo loco, dicens : « Lex naturalis maxime habet rationem legis. Sed lex naturalis non indiget promulgatione. Ergo non est de ratione legis quod promulgetur. » Et respondet : « Dicendum quod promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam. » Id clarius explicans Sylvius ait, in 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 90, a. 4, in fine : « Actualiter tunc unicuique [lex naturæ] promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit, dictantem quid juxta rectam rationem sit amplectendum, quid fugiendum. » Ibid., q. 19, a. 4, ad 3, Angelicus obtendens quod necesse est ut lex, quatenus est mensura, sit certissima, dicit de lege naturæ, quæ est in nobis participatio legis æternæ : « Licet lex æterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis aliquantulum per rationem naturalem, quæ ab ea derivatur ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superaditam. » Adverte hæc ultima verba, ex quibus infertur quod, si ratio non sufficeret ad manifestandum nobis divinam voluntatem, saltem in necessariis, ignorantia hominis esset depellenda per aliqualem revelationem supernaturalem, ut lex naturalis fieret certissima, ita ut ante hanc promulgationem specialem non posset actu obligare.

PRINCIPIUM SECUNDUM. *Lex incerta non potest inducere obligationem certam.*

Videtur nostram propositionem sufficienter et etiam inconcusse fuisse demonstratam præcedenti argumento, quo essentiam legis expendimus, eam præcipue ut causam

obligationis considerantes. Attamen, ad abundantiam juris, effectum legis et ejus processum a lege juvabit insuper examinare, probando legem incertam obligationem certam non posse inducere. Itaque

*Probatur sic.* Effectus naturalis est necessario proportionatus et homogeneus causæ. Atqui obligatio est effectus naturalis legis. Ergo obligatio est necessario proportionata et homogenea legi. — Prob. 1<sup>a</sup> pars majoris. Effectus naturalis continetur in causa. Atqui contentum necessario proportionatur continenti et illud excedere non potest; alioquin esset simul contentum et saltem ex parte non contentum, quod implicat. Ergo effectus naturalis est necessario causæ proportionatus. — Prob. 2<sup>a</sup> pars majoris. Secundum D. Thomam, 1<sup>a</sup> p., q. 43, a. 7, o, « omnis effectus aqualiter repræsentat suam causam. » Et idem dicit, ibid., q. 4, a. 2, o: « Quidquid perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva... Manifestum est enim quod effectus præexistit virtute in causa agente; præexistere autem in virtute causæ agentis, non est præexistere imperfectiori modo, sed perfectiori. » Atqui præexistere virtute in causa agente, supponit homogeneitatem effectus naturalis ad causam. Ergo effectus naturalis est necessario homogeneus causæ. — Prob. min. Effectus naturalis legis est id ad quod instituitur et ex ejus natura procedit. Atqui id nihil aliud est quam obligatio; nam, ut dicit Angelicus, 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 90, a. 1, o, « dicitur lex a ligando, quia obligat ad agendum, » et ibid., arg. *Sed contra*: « Ad legem pertinet præcipere et prohibere, » quod est obligare. Ergo obligatio est effectus naturalis legis. — Unde jure concluditur: Ergo obligatio est necessario proportionata et homogenea legi.

Hæc conclusione obtenta, instituitur argumentum sequens: Obligatio est necessario proportionata et homogenea legi. Atqui, si lex incerta induceret obligationem certam, hæc obligatio non esset proportionata et homogenea legi. Ergo lex incerta non potest inducere obligationem certam. — Prob. 1<sup>a</sup> pars minoris. Certum excedit incertum, ut ulterius procedens. Ergo obligatio

certa non proportionatur legi incertæ. — Prob. 2<sup>a</sup> pars minoris. Certum opponitur incerto et illud excludit. Ergo obligatio certa non est homogenea legi incertæ. — Ergo, ut asseritur in propositione, lex incerta non potest inducere obligationem certam.

*Confirmatur* his verbis S. Thomæ jam in gratiam præcedentis principii allegatis, q. 17 *de Veritate*, a. 3, o: « Nec ex imperio alicujus regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti. » Atqui, ut jam animadvertimus, scientia præcepti est cognitio certa legis. Ergo lex incerta non potest inducere obligationem certam.

PRINCIPIUM TERTIUM. *Melior est conditio possidentis.*

Observandum est præsentem quæstionem poni inter legem et libertatem hominis. Porro sua libertate uti homini licet, quamdiu ea legitime, id est aliqua vera lege, non privatur, quia ante legem libertatem possidet, et hæc possessio jus certum illi confert, si jus superius et contrarium illud non destruat.

*Probatur.* Nemo potest jure certo privari, nisi ab eo qui jus superius et certum habet. Atqui ante legem libertas jus certum possidet. Ergo hoc jure privari non potest, nisi lege certa, quæ, si existat, est ei superior. — Major est evidens; nam jus aliquod subsistit quamdiu jus aliud superius illud non destruit, secundum axioma notum: « Non datur jus contra jus; » quod intelligitur de jure vere existente. Quicumque tale jus possidet, illud defendere potest contra quemcumque non probantem se jus contrarium habere, quod prævalet. — Prob. min. Ad naturam intellectualem hominis libertas arbitrii essentialiter pertinet, ut demonstrat D. Thomas, dicens, 1<sup>a</sup> p., q. 59, a. 3, o: « Quædam sunt quæ non agunt ex aliquo arbitrio, sed quasi ab aliis acta et mota, sicut sagitta a sagittante movetur in finem. Quædam vero agunt quodam arbitrio, sed non libero, sicut animalia irrationalia: ovis enim fugit lupum ex quodam judicio, quo existimat eum sibi noxium;



sed hoc iudicium non est ipsi liberum, sed a natura inditum. Sed solum id quod habet intellectum potest agere iudicio libero, in quantum cognoscit universalem rationem boni, ex qua potest iudicare hoc vel illud esse bonum. Unde ubicumque est intellectus, ibi est liberum arbitrium. » Advertendum est Doctorem nostrum hic non loqui de libertate contrarietatis, quæ non est dos essentialis naturæ intellectualis, sed de libertate contradictionis, qua utitur agens « in quantum cognoscit universalem rationem boni, » quam tribuit hoc loco angelis beatis et tribui debet pariter homini etiam viatori. Atqui natura intellectualis regulanda, mensuranda, liganda per legem, concipitur ante regulam, mensuram et ligamen quæ ipsi sunt imponenda. Et hoc docet Angelicus, 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 91, a. 1. Quærit « utrum sit aliqua lex æterna. » Primum sibi objicit: « Videtur quod non sit aliqua lex æterna. Omnis enim lex aliquibus imponitur. Sed non fuit ab æterno cui aliqua lex posset imponi; solus enim Deus fuit ab æterno. Ergo nulla est lex æterna. » Respondet: « Dicendum quod ea quæ in seipsis non sunt, apud Deum existunt, in quantum sunt ab ipso cognita et præordinata, secundum illud, Rom., iv, 17: *Qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ex quæ sunt.* Sic igitur æternus divinæ legis conceptus habet rationem legis æternæ, secundum quod a Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum. » Adverte hoc: « Æternus divinæ legis conceptus ordinatur ad gubernationem rerum præcognitarum. » Ergo prioritate rationis prius a Deo consideratus fuit homo tamquam liber, et deinde posterioritate ejusdem generis considerata fuit lex qua homo ligandus erat. Si hoc verum est de lege æterna, a fortiori verum est de lege naturæ et de lege humana. Ergo ante legem libertas hominis jus certum possidet. Et confirmatur his verbis S. Scripturæ, *Eccli, xv, 14-16: Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Inde patet, hominem constitutum fuisse essentialiter liberum. Ejus libertas non restringitur nisi mandatis et præceptis quæ Deus adjecit. Nota bene hoc ultimum verbum *adjecit.* Ergo

ut supra. Ergo libertas jure suo certo privari non potest nisi lege certa.

Unde argumentum sequens, quod rem conficit: Libertas jure suo certo privari non potest nisi lege certa. Atqui lex probabilis non est lex certa. Ergo lex probabilis non potest libertatem jure suo certo privare. — Atqui jus illud est possessio. Ergo in hac materia melior est conditio libertatis possidentis.

Ope trium superiorum principiorum, demonstrata est inefficacitas legis dubiæ, in se, ut est causa, quoad effectum et in subjecto. Nihil amplius requiri potest, ut probetur ratione talem legem practice nullius valoris esse.

*Argumentum ex autoritate.*

Hoc argumentum a P. Gury optime sic exponitur<sup>1</sup>:

« Ex variis capitibus constat, scilicet:

» 1<sup>o</sup> Ex communiore authorum per plura sæcula consensu. Ex quo enim orta est disputatio de probabilismo, nempe a medio sæculo xvi, innumeri confestim ex omninatione, statu, conditione, et ex omnibus religiosis ordinibus authores patrocinium ejus susceperunt, e quibus non pauci doctrinæ fama insignes elucent, uti Suarez, cardinalis de Lugo, Lessius, Eusebius Amort, Bonacina, etc., et recentioribus temporibus S. Alphonsus de Ligorio. Quod si nonnulli in tanta doctorum multitudine probabilismi limites nimis extendisse forte videantur, hujusmodi sane periculum præcaveamus, limites veri probabilismi retinentes, scilicet non admittendo opinionem ut probabilem, nisi solido fundamento innitatur, seu nisi solidæ rationes pro ea militent, prout plerique omnes, etiam ante S. Ligorium, probabilismum intellexerunt. » — Authoribus a Gury enumeratis, addendus est S. Antoninus, qui re-

1. *Compendium theologiæ moralis*, n. 64 et 65. Edit. P. H. Dumas, 1874.